

utroque matrimonio liberaliter et ad omnem honestatis cultum educandorum fuit diligentissimus; et, quae est rarissima nouercae laus, HONESTISSIMA SCHVRMANNIA, quam viduam reliquit, liberis germanis non est carior, quam ex priori coniugio susceptis. Patrimonium liberis suis reliquit sane magnum: pietatem, solertiam, gratiamque apud omnes.

Quae huc vsque de Heusingeri vita, ingenio, et moribus consignavi, destinata fuerunt exsequiis beati Viri, quas programme profequi antiquus scholae mos, gratusque animus postulare mihi videbantur. De scriptis eius tum editis, tum postremas doctissimi filii curas, et quod maxime optandum, minus difficiles bibliopolas flagitantibus, quoniam nec singula ab Ill. Harlesio, quem honoris causa nomino, enumerata, nec ea, quae beatus Vir de vno alteroque mihi commemoravit, omnibus nota sunt, statueram alio loco vberius differere. Consultius autem visum est VIRO humanissimo, EPHORO nostro SVMME VENERANDO, cuius voluntati obtempero, vt par est, lubentissime, programma hoc non sine indice illorum typis committere, et quae forte de iis dicenda essent, filio relinquere. Solos igitur exhibeo titulos librorum, qui hoc ordine in publicum prodierunt.

1. Codicis M. S. qui *Aiacem et Electram Sophoclis* continet, brevis descriptio, et in easdem tragoedias obseruationum specimen. Disp. qua summos ordinis philos. honores adeptus est, respondente FRID. GVIL. LIEBE. Ienae. d. XX. Mart. clolcccxxxv. 4.
2. De locis Noui Test. Matth. XVI, 13 et 20. Luc. VII, 47. Iac. II, 18. quos Criticus anonymus (HEVMANNVM fuisse, postea innotuit) in *corruptionis suspicionem* nuper vocauit, Disp. Resp. FRID. GVIL. NOLDE. Ienae d. XVIII. Mart. clolcccxxxvi. 4.
3. Dissertatio epistolica (ad Frid. Andr. Hallbauerum) de *donariis poetarum*. Ienae a. d. III. Id. August. xxxvi. 4.